

M. JOSEPHI ALOYSII

PUTANOWICZ

S. T. D.

IN PRINCIPE REGNI SCHOLA UNIVERSITATE CRACOVIENSI COLLEGII MORALIS

PRÆSIDIS.

SUPER ILLUSTRI FACTO

Ex Libro Judicum. Cap. 11.

à v. 29. ad v. 40.

DE

VOTO JEPHTE DISSERTATIO

Infra Octiduanas publicas Disputationes, Thomisticæ Scholæ S. Ordinis Prædicatorum

RECITATA.

Pridie Iduum Martii

MDCCLXXXV.

NOMINI ET HONORI
A. RR. RELIGIOSISSIMORUM
DOCTISSIMORUM VIRORUM.

JUCUNDI TRĄBSKI
PER UTRAMQUE POLONIAM
PROVINCIALIS, S.T.D.

ANGELI KOCHANSKI
S. T. D.
INCLYTI CRACOVIENSIS CONVENTUS
PRIORIS.

CÆTERISQUE DE SACRA RELIGIONE
OPTIME MERITIS


DOCTORIBUS, LICENTIATIS, BACCALAUREIS, PATRIBUS, REGENTIBUS, STUDII MODERATORIBUS, ALUMNIS, SODALIBUS.

TOTIQUE SACRÆ FAMILIÆ ORDINIS
PRÆDICATORUM CRACOVIENSI.

AMORIS. STUDII. OBSERVANTIÆ.
E R G O.

D I C A T A.





D E
VOTO JEPHTE



JEPHTE Dux populi Jsraëlitici electus, parando bellum contra Ammonitas, ut suscepta expeditio ex animo sibi succederet; in Deo Victoriarum Authore spem totam reponens, supernoque afflatus numine, *Votum vovit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas. Quicunque primus egreſsus fuerit de foribus domus meae, mihique occurrerit revertenti in pace a filiis Ammon, eum hollocaustum offeram Domino.*

Victor domum redux primùm sibi obviam habet unigenitam filiam suam, cum tympanis & choris: non enim habebat alios liberos. Hoc inexpectato commotus spectaculo, præ nimio dolore scindit vestimenta sua, aperit filiæ votum Deo emiſsum: hæc voluntati Patris morem gerens, bimestres inducias petit ad plangendam virgini-

tatem suam, cum suis sodalibus. Elapso tempore revertitur ad Patrem suum, qui *fecit ei, ſicut voverat, quae ignorabat virum.* - - - Jnde nata est consuetudo, ut filiæ Jsràel, post anni circulum convenirent in unum, & plangerent filiam Jephte Galaatidæ diebus quatuor.

Atque hoc totum est, quod poſsumus discere ex Sacris Litteris *de voto Jephte*; hinc natus est difficilis solvendo nodus, qui omnes Interpretes hactenus mirificè torsit: Utrum scilicet, *Jephte votum imprudenter emiſerit, & crudeliter adimpleverit in filia; non virginitatis conſecratione, sed mactatione cruenta?*

Quòdsi ad Antiquos recurramus: quandoquidem Sacer Magistratus, penes quem ſumma erat potestas examinandi & interpretandi Sacros Libros, nonnisi multis post sæculis cæpit, nec adeſset ulla traditio coætanea, quæ hanc causam decideret; liberumque eſset pro arbitrio executionem illiusmodi voti interpretari; hinc credidere Hebræi, quorum traditionem & opinionem Christiani adoptarunt longè posteriùs, quòd Jephte reapse filiam suam mactaſset, & in holocaustum obtuliſset.

Hinc divisæ sunt opiniones in inquirendo, utrum ſacrificium istud fuiſset Deo acceptum? num verò Jephte graviter peccaſset imprudenter vovendo, & imprudentiſsimè exequendo? Qui Jephte volunt excusatum, meliorem videntur causam tueri; equidem is connumeratur ab Apostolo illis hominibus, *qui per fidem placuerunt*

erunt Deo, qui operati sunt justitiam, & obtinuerunt repromissionem. Heb. 11. Controversia ista suapte evanescet, quòdsi semel ostensum fuerit, factum ipsum immeritò affirmari.

Cui placet persistere in Textu *Vulgatae*, is necessè consentiat, Jephte vovisse votum offerendi in holocaustum personam humanam, atque quod inde sequitur, filiam suam occidisse. Quandoquidem, cùm incertus sit Textus de executione Voti, ly *fecit ei, sicut voverat*, in quo tamen passu omnes Versiones, quò ad substantiam concordant; tota difficultas versatur circa duos versiculos. 31. & 40.

Versum quidem 31. *Vulgata* sic legit: *Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Citra dubium est, terminum *Quicumque*, haud alij posse applicari, si non personæ humanæ, illique aut masculo aut fæminæ? Pari quoque modo ly *eum holocaustum offeram*, involvit promissionem Sacrificii cruenti ad similitudinem holocaustorum, quæ ex pecudibus fieri erant solita.

Adstipulatur huic ratiocinio vers: 40. *Exinde mos increbuit in Israël, & consvetudo servata est: ut post anni circulum conveniant in unum filiae Israël, & plangant filiam Jephte Galaaditae diebus quatuor.* Quid nam aliud tam solemniter plancturæ, si non mortem victimæ innocentis?

At

At fateri necessum est, quòd Traductor Vulgatæ præventus cum aliis antiquis PP. de cruento sacrificio, usus fuerit terminis conformibus ad suum intentum. Ex adverso, si velimus consulere alias Versiones, nominatim *Interlinearem* Originalis Hebraici, protinus nobis occurrent non vana dubia, ex quibus sensim enascentur legitima motiva ad profligandam istam malè conceptam carnificinam.

Omnes aliæ Versiones in eo concordant, quòd ubi Vulgata unum tantum admittit sensum in proposita oblatione = *eum holocaustum offeram Domino*, = Textus Hebræus duplicem continet, qui quantumvis uniformis videatur ad producendum idem solum significatum; non obstante eo potest habere diversa.

Textus Hebræus habet: *erit Domino, & ascendere faciam illum ascensionem.* Hæc ultima verba proculdubio idem sonant ac *offeram in holocaustum.* In hac duplici expressione concordant LXX. *& erit Domino, offeram illum in holocaustum:* Versio Syriaca: *Domini erit, offeramque eum in holocaustum:* Arabica: *erit in oblationem Domino, offeramque eum ipsi in Sacrificium.* Paraphrasis Chaldæa Jonathan: *& erit ante Dominum, & ascendere eum faciam holocaustum.*

Allata mox repetitio particulæ &, Viris doctis non est visa supervacanea, quinimo inde hauserunt diluculum quoddam veritatis detegendæ. Neque spe sua frustrati sunt. Equidem par-

particula & quæ idem est ac Hebræis *Vau* nunc vim conjungendi, nunc disjungendi habet, atque ideo duplex significatum. *Rabbi David Kimchi* offert hujus rei exemplum clarissimum in Lege Exod. 21. v. 51. *Qui percusserit Patrem suum aut Matrem, morte moriatur.* Atque inde ostenditur, quòd ubi Vulgata ex necessitate *Vau* interpretatur pro *aut*, hæc ipsissima particula *Vau* apposita est in voto *Jephte.* Igitur juxta hanc animadversionem, textum Hebræum interpretari licet: *Erit Domino, aut ascendere faciam illum ascensionem.* Quæ particula cùm primùm hic fuerit disjunctiva, protinus intelligimus votum duas partes habere, quarum quælibet diversa significat, *aut Domini erit, aut victima.*

Antiqua Traditio dedit quoque locum alteri æquivoco. Cui innixus Author Vulgatæ initium Versus 31. interpretatur. *Quicumque primus egressus fuerit*, usus genere masculino. Huic cohæret Versio Græca: *Et erit exiens, quicumque exierit.* Idem sonat Syriaca: *qui prodierit.* Et Arabica: *Quicumque egredietur.* At observandum est, utì eruditè notat *Lyranus*, quòd sicut apud Latinos & in aliis Linguis, genus neutrum cætera genera comprehendit; ita apud Hebræos sub genere masculino omne genus contineatur. Unde *Josephus* vertit, *Quodcumque primum occurrerit.* Quid plura? Traductio Interlinearis Textus in Polyglothis legit: *Et erit egrediens, quod egressum fuerit*, ponendo verbum neutrum cum participio verbi. Concordat Paraphrasis Chaldæa: *Et erit quod*

egre-

---

egredietur egrediens. Quæ cùm ita sint; quis cogat aſserere in voto à Jephte emisso omnino sacrificium victimæ humanæ? cùm sub genus neutrum optimè cadere possit aliud quodcumque subjectum, de natura sua capax sacrificii cum sanguinis effusione.

Hinc facilè deducitur, cùm votum duabus partibus constet, nil obstat, quin ei accommodari possit interpretatio *Rabbi David Kimchi*, qui primus & fortasse solus à Veteri Hebræorum traditione recesserat, relata à *Marshamo* in suo Canone Chronologico ad seculum IV. Cap. 3. *Erit Domino consecratum, si non sit idoneum holocausto; aut offeram eum holocaustum, si fuerit holocausto idoneum.* Consequenter exequutio voti ambigua, quæ in omnibus Versionibus uniformiter legitur: *fecit ei, sicuti voverat*, poterit accipi in modo ab Authore citato intellecto, idest: *fecit ei domum, & introduxit in eam, atque ibi remansit, seclusa à filiis hominum, & à rebus secularibus.*

Adversùs isthanc expositionem, adeo rationi sanæ convenientem, adeo claram, mirari satis nequeo, quòd nonnulli modernorum eligant potiùs filiam Jephte more pecudis mactatam, quàm ut humanitati, quàm ut ipsi Legi Divinæ quidquam deferant. Nam, quòd is Antiquis sensus fuerit, id facile indulgendum; scripserunt siquidem humano modo, nixi vulgari Hebræorum traditioni, & maximé confisi testimonio *Josephi Flavii*, qui Antiquitates suas in Lingua Græca id tempus Orientalibus famili-

ari,

ari, neque Latinis ignota evulgavit; nec habebant notitiam Textus Hebraici; vel si qui habebant, præventi primæva traditione, haud attendebant ad duplicem sensum Linguæ Sanctæ in materia facti, de quo minimè dubitabant.

Profectò, quis verisimile credat, ut Jephte citra temeritatis notam voluerit Deo promittere sacrificium sanguinis humani; præsertim cùm illud voverit nonnisi ex inspiratione Divina? utì legimus v. 29. *Factus est ergo super Jephte Spiritus Domini?* multò minùs voluit etiam effundere sanguinem proprium; non enim debebat præsupponere post suum reditum, obviam sibi iturum hostem aliquem aut mancipium, aut hominem extraneum; sed proculdubio, si persona humana esse debuit, futura erat aut unica filia, aut uxor, aut aliquis ex sanguine junctis. Insuper, Jephte nullum habuit exemplum Sacrificii humani, quinimo bellé noverat, quàm detestandum Deo esset omne homicidium; & quòd nil magìs ad ultionem Deum contra Chananæos provocaverit, utì Sacrificia humana *Moloch* immolata. Jusserat quidem Deus Abrahamo, ut immolaret unicum filium suum Isaac, sed neque Abraham id sua sponte fecit, neque Dominus permisit, ut sacrificium illud compleretur. Factum illud fuit quidem probatio fidei Sancti Patriarchæ, at in exemplum nulla ratione trahi potuit, cùm nec ipsum exitum suum sortitum fuerit; & aliunde ex Lege & periculo Chananæorum constaret, hujus generis sacrificia fuisse impia, Deoque quàm quid maximè ingrata.

Jam

Jam si nemo negat homicidium esse grave peccatum; & aliunde votum sit *promissio facta Deo de meliori bono*; quomodo sustineri poterit, quòd Jephte filiam suam occiderit? Semel malum, semper malum est; nec homicidium unquam à Deo permissum legimus, nisi aut in casu pœnæ legitimæ, aut in bello justo contra gentem profanam, & propter reatus suos Deo abominabilem.

Ast his in casibus homines haud operantur ex instinctu propriæ voluntatis, sed utì ministri executores ultionis Divinæ. Nunc rogo, quomodò placere Deo potuit oblatio Virginis haud quidquam mali promeritæ, contra expressum Legis dictamen? Offerebantur quidem Divino mandató primogeniti; sed redimebantur pretio, non jugulabantur; quòdsi interdum contigerit liberos, aut mancipia Domino offerri. destinabantur obsequio Templi, non verò more pecudum mactabantur.

Quòdsi aliquis contendat Jephte votum suum imprudenter emisisse, quod tamen non facilè concesserim. Siquidem legimus duos menses elapsos inter reditum ad Domum Patriam Ducis hujus & voti memorati adimplementum; cur interea temporis non ille rogaverit consilium, non judicium Magistrorum in Lege & Sacerdotum de validitate voti sui exploraverit? Num eum credemus adeò naturæ oblitum; ut noluerit, aut neglexerit omnia media conciliandi salutem innocentis filiolæ, cum satisfactione suorum promissorum? An non potiùs

tiùs in hac animi persvasione esse debemus; quòd ex quò votum ad publicam notitiam devenisset, ipsimet Sapientes & Legis Periti motu proprio accessissent Jephte jam Judicem suum; ut ipsi ostenderent, quantopere Deus execretur sanguinolenta humana sacrificia? quodque ipsi fas esset redimere filiam, aut auro, aut alio plausibili sacrificio de consensu Summi Sacerdotis? Hæc aliaque similia - -

S. Hieronymus & S. Augustinus dubitant, utrum Jephte in supposito filiæ sacrificio peccaverit; primus tamen votum illud vocat temerarium. Theodoretus. S. Ambrosius. S. Thomas Aquinas cum aliis illud gravis culpæ reum faciunt. Quod si ita est: quomodò innocens videri potuit in oculis Sapientum Jsraëlis, & Sacerdotum, qui adeo rigidi observatores erant vel minutissimarum rerum, quæ ad exteriorem cultum Dei spectabant? num illi tolerassent ut exequutioni mandaretur? num omisissent intervallô duorum mensium patrem Judicem instruere de enormitate peccati, quod commissurus erat? Fortasse longa oratione opus fuerat ad paterna viscera commovenda; qui conspectâ filiâ suâ obviâ tantopere ingemuit, *sciditque vestimenta sua?*

Sed instandum fortiùs; Si crudele adeò spectaculum impleri debuit; ubinam fuit consummatum? Jn Galaad, ubi Jephte habitabat? minimè gentium: offerri debuit in Tabernaculo. Triplex hac in re Dei mandatum legimus in Deutoronomii Cap. XII. Primum est v. 5. 6. = *Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cun-*

ctis

ctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi & habitet in eo, venietis. Et offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria primogenita boum, & ovium =

Alterum clarius extat v. 11. = *In loco, quem elegerit Dominus, ut sit nomen ejus in eo: illuc omnia, quae praecipio, conferetis, holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum, & quidquid praecipuum est in muneribus, quae servabitis Domino.* = Cujus mandati observatio tantùm premit; ut versus 13. apertè moneat = *Cave ne holocausta tua offerras in omni loco, quem videris.*

Idem tertiò repetitur mandatum v. 26. = *Quae autem sanctificaveris, & voveris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus.*

Jgitur, si in solo Sanctuario offerri debebant victimæ votô oblatæ, qua ratione Summus Sacerdos cæterique Altaris Ministri permittere poterant profanari Sanctuarium Dei sacrificio humano, Deo tantopere exoso? Nec satìs.

Quis fuit Minister victimæ mactandæ? Unus ex Sacerdotibus? num is poterat inquinare manus sacrificio insolito? Num is jugulando Virginem insontem (quod absque horrore vix cogitari potest) poterat reddere Deo cultum contrarium adeo Legi, & omnibus præceptis cæremonialibus Templi & Tabernaculi? Qua methodo obtulit

tulit hoc ſacrificium, de cujus ritu perficiendo, in tota Lege nec vola, nec vestigium extat?

At fortaſse Sacrificium hoc crudele perfecit, unus de plebe? Sed qua fronte, quo ausu, cùm non eſset aut Minister, aut Levita? Sit itaque Pater ipse. Mittamus, quòd tantum monstrum natura genuiſset; ille tamen quantumvis Dux & Judex, laicus fuit homo, nec ullo titulo major in Sacris seu offerendis, seu decernendis præ cæteris ex populo.

Jn facto nihilominus adeo gravi, tacuiſsetne Scriptura omnia adjuncta haud facilè inde ſeparanda; utpote gemitus & clamores populi supra stragem hactenus insuetam? lamentationes Sacerdotum de dignitate Sanctuarii temerè violata? uno verbulo se expediens: FECIT EI, SICUT VOVERAT.

His omnibus maturè pensatîs, quis adhuc audeat sustinere atrox istud Sacrificium? Sed præter ea offerunt ſese majores difficultates, quæ ſententiâ meâ superari haud poſsunt.

Legimus in Levitico, ritus ſervandos circa victimas immolandas cujuscumque illæ naturæ ſuerint, seu hostia pacifica, seu pro peccato Sacerdotis, aut Principis, aut populi, præscriptos, quos absque piaculo præterire non licuit. Aſpergebatur primò ſanguine victimæ ipsum Altare; deinde adeps renum, ipsique renes, reticulum atque omentum cæteræque partes interiores unà cum cauda supra altare cremabantur; pellis debebatur Sacrificulo, carnes quoque in

in cibum Sacerdotibus atque Ministris Tabernaculi cedebant; uti habetur cap. 1. v. 16. *Si votó vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die, sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum sit.* Quantæ abominationes, quanta absurda se simul offerunt, in Virgine immolanda?

Si dixerit quisquam, ad evitanda hujusmodi incommoda, integram victimam fuisse igni crematam, aut terræ sepultam? At non is fuit ritus Sacrificii pro voto; victima duntaxat pro peccato oblata, foris & extra Tabernaculum comburebatur; nihilominus adeps, & aliæ partes intestinæ omninò super altare ardebant. Ac proinde istud diffugium nullum est. Oporteret demonstrare diversum ritum in offerendis humanis victimis servatum. Verùm enimvero; sicuti hujus generis oblationes Deo fuerant maximopere exosæ; ita neque ullus ritus præscribi potuit; absque autem ritu & cæremoniis offerre quidquam Sacerdotibus nefas fuit. Ad extremum; si velis a Patre aut a quopiam è famialiaribus suis mactatam victimam; reponam ego, non fuisse sacrificium, sed homicidium; non cultum, sed profanationem; & quod inde sequitur, Jephte ex albo hominum justorum, qui adepti sunt repromissiones, necessum est, ut expungas. præsertim, quòd sacrilegæ istius cædis filiæ, eum aliquando pænituisse, nullibi in Scriptura legatur.

SUPEREST; ut ea rationum momenta expendamus, quæ sententiæ non meæ, sed meæ, aliquid negotii facessere videntur. At-

Atque prima fronte offert ſe timor quidam Pannicus, quo perculsus Genebrardus apud Turrinum mirificè metuit ſententiam quorundam Rabinorum - - - -, qui dicunt non occisam ,, (*Filiam Jephte*) sed metaphoricè immolatam ,, fuiſse, idest virginitatem toto vitæ tempore ,, ad instar Nazaræe ſervaſse juſsam, = Ex ,, eo; ne si realem hìc mactationem admittant; ,, typum dent Christianis Filii Dei a Patre Cæ- ,, lesti in monte Calvariæ ſacrificati, qualis ,, olim ejusdem typus fuerat Jsaac in Monte Moria ,, ab Abrahamo immolandus, si neci subtra- ,, ctus non fuiſset. =

Objectiuncula ista facit nos bono animo eſse. nonne prestò sunt plura alia in Veteri Testamento exempla graviſsima, quæ Typum Redemptoris nostri in Ara Crucis immolandi luculentiùs expreſserunt? Jsaac juſsus quidem immolari, at non immolatus fuit? Abrahæ fides, bonaq; intentio stetit pro facto, tametsi ad cruentum ſacrificium deventum non eſset. At dispar in Jephte voti ratio; illud, quodsi a multis Patribus temeritatis arguitur; quanto ſcelere laboraret opere adimpletum? Quis verò credat peccatô typum signari innocentiæ ſupplicio afflictæ? Neque fæmina, ùt ùt virgo, ad adumbrandam oblationem Redemptionis Nostræ mihi apta videtur.

At esto; dicunt alii, consecraverit Jephte filiam suam servandæ virginitati perpetuæ; quod inde meritum? cùm in antiqua Lege virginitas opprobrio, sola fæcunditas laudi eſset?

Bona

Bona pace eorum, qui talia opponunt, respondeo. Virginitas ſemper ſummo honore habebatur, neque desunt in Veteri Lege documenta. De MARIA Sorore Moysis Prophetiſsa, non legimus in Scriptura, ut cuiquam viro nupta eſset; eam Gregorius Niſsenus *de Virginitate*. S. Ambrosius *in exhort. ad virg.* Virginum Cætui accensent. Reipsa tamen apud populum Jsràëliticum plurimi habita, cui soli, exclusîs cæterîs cum Moyse & Aarone Tabernaculum ingredi licuit.

RAZIAS unus *de Senioribus Vir amator Civitatis, bene audiens, qui pro affectu, Pater Judeorum appellabatur*; inter cætera vel exinde maximè commendatur; quód *multis temporibus continentiae propositum tenuit in Judaismo*. Machab. 2. c. 14. v. 37. Quinimo omnibus temporibûs non defuiſse Viros & mulieres, quibus virginitatis ſtudium, ſummo laudis loco reputaretur, testatur ætate sua Salvator noster = *Sunt Eunuchi, qui ſe ipsos castraverunt propter regnum Caelorum*. Matth 29. v, 12. Si Virginitas laude digna; eccur non meritoria coram Deo?

Quid plura? Virgines Sacras, a commercio Virorum ſecretas in Veteri quoque Testamento extitiſse haud quisquam ibit inficias; si animum ad ea conferat, quæ leguntur eodem Machabæorum Libro cap. 3. Seleucus Antiochiæ Rex inſtigatus a Simone Beniamita mittit Heliodorum cum valida manu ad deprædandum thesaurum, qui sub cuſtodia Templi Hierosolymitani

mitani aſservabatur. Ausum istiusmodi nefarium deſcribens Sacer Historicus, inter lamenta populi, inter preces Sacerdotum, quibûs Divinum Numen, ubi actum fuerit de læsa sua Majestate, nunquam non flectitur; adjungit etiam planctus & angores, quibus vehementer distinebantur quà mulieres, quà virgines uno tecto clausæ, quod apud nos Sacri Gynæcei nomine audit. = *Accinctœque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: sed & VIRGINES QUÆ CONCLUSÆ ERANT, procurrebant ad Oniam* Summum Sacerdotem, *aliae autem ad muros, quaedam verò per fenestras aspiciebant. Universae autem protendentes manus in Cœlum deprecabantur.* Quòd ly *conclusae*, idem sonet, ac virgines, quæ inter certa templi claustra concludebantur; notat Tirinus: id ipsum notare licet, in Indice Biblico super istum textum = *Virgines olim, ùt nunc conclusae.* = Et certè; nisi in more positum fuisset, virgines quasdam integritatem suam Deo consecrare, quo exemplo ducta Virgo Redemptoris Mater, id ipsum præstitisset? Magnum igitur, repeto, filia Jephte meritum posuit; dum promissioni Paternæ morem ex animo gerens, perpetuæ virginitati colendæ se devovit.

Nihilosecius nova hinc enascitur solvenda difficultas. Si Jephte non quid majus pectore nutriebat, quàm ut filia sua virgo perpetuó maneret; ut quid vestimenta scidit, quasi summo in discrimine versaretur? *Heu me, filia mea, decepisti me, & ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere*

non

non potero. Sed quis nescit quanto in Lege Veteri tenerentur desiderio Patres videndi filios filiorum suorum ? Jephte, excepta hac unica filia, prolem aliam non habebat; in ea semen suum perennaturum sperabat; illa sola relevabat sterilitatem Patris, quæ apud populum illum carnalem probrosa fuerat; meritò igitur indoluit, meritò vestimenta scidit.

Jnsuper; quis sibi facilè persvadeat, quòd votum Jephte intenderet mortem filiæ ? Hac de re, (sublatîs jam æquivocîs) altiſsimum in Scriptura Sacra silentium; quinimo, si vel tantillum ad contextum attendimus, contrarium vel inviti inveniemus. Notemus singula verba. Jephte ediſserit filiæ = *aperui os meum ad Dominum*, & *aliud facere non potero* = Roponit filia = *ſi aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es. - - - Hoc solum mihi praesta, quod deprecor: Dimitte me, ut duobus menſibûs circumeam montes, & plangam virginitatatem meam cum ſodalibus meis.*.

Cur petit a Patre inducias deplorandi virginitatem ſuam, & non potiùs vitam ? Si mori oportebat, eccur plangeret virginitatem, quam cum vita amittere debebat? Jllud me hercle fuit, quod illa, juxta opinionem eorum temporum, ſummi infortunii loco reputabat. Moveamuss passum ulteriùs: *Expletisque duobus mensibûs, reversa eſt ad patrem ſuum & fecit ei sicût voverat, quae ignorabat virum.* Ut quid additur QUÆ IGNORABAT VIRUM, cùm jam aliàs ſciamus eam Virginem fuiſse ? Repetitio ista ſuper-

ſupervacanea profectò videretur, niſi quid aliud vellet innuere; nimirum; quòd ex quo tempore voto Patris adimplendo ſe obsrinxerat, non ampliùs de Viro cogitavit.

Ad extremum diluenda eſt illa difficultas, cui haud leve pondus accedit ex verſu 39. & 40. *Exinde mos increbuit in Jsraël & conſuetudo ſervata eſt: Ut poſt anni circulum conveniant in unum filiae Jſraël & plangant filiam Jephte Galaatidae diebus quatuor.* Si in voto Jephte de ſola duntaxat virginitate filiæ res eſt; ùt quid lugubres adeo conventus, ùt quid lachrymæ amaræ cum anniverſaria ſolemnitate Jsràël filiarum? Cur illæ non ſolitudinem ſuam, non triſtem vivendi rationem, uno verbo non virginitatem illius deplorant; ſed ùt Textus inquit, plangant *Filiam Jephte*, ac quòd idem eſt, mortem Filiæ Jephte?

En alterum æquivocum, quod ex Verſione Vulgata enaſcitur. at ſi fontem Hebræum & alias verſiones adire placet, nedum objecta difficultas ſe ipsam ſolvit, ſed magìs nos in ſententia confirmat, votum nempe Jephte non de morte filiæ, ſed de perpetuo ejus ſequeſtro à commercio Virorum intelligi debere.

Equidem, ubi Vulgata legit: *ut conveniant in unum filiae Jsraël, & plangant filiam Jephte*; LXX. interpretantur: *ibant filiae Jsraël lamentari filiam Jephte.* Et paraphraſis Chaldæa habet = *Venerunt filiae Jsràël ad lamentandam filiam Jphthach:* Harum Verſionum deſcrimen in eo ſitum

eſt,

est, quòd Vulgata Verſio ediſſerat conventum aliquem celebrem in unum filiarum Jsràël; quem non enuntiant aliæ. Sed textus Hebraicus omnem solvit nodum. Nam ubi Vulgata legit *plangere*, alibi habetur *lamentari*; Hebræum autem vocabulum TINNA significat æque *confabulari*, *diſserere*. Quis non videat, quàm diversum effectum diversa ista significata producant? equidem dum *planctus* & *lamentatio* mortem absolutè non ſupponit; *confabulatio* tamen & *conversatio* non nisi inter viventes locum habet. Reapse, traductio *interlinearis* Hebraici Originalis in Polyglothis sic effert: *Et fuit statutum in Jsraël: a diebus in dies ibunt filiae Jsraël ad alloquendum filiam Jphtach Ghilatidae, quatuor diebus in anno.*

Hæ sunt principes difficultates, quæ tamen haud evertere poſsunt rationes à nobis adductas; quibus firmiter tuemur: *Jephte imprudenter non emiſiſse votum; illud crudeliter non adimpleviſse in filia; cùm eam & Virginem Deo conſecraverit, & incolumem ſervaverit.* Utrumque factum dignum.

FIDE JUDICIS. AMORE PATRIS.



